

versus sollicitantes obliget etiam Missionarios Franciscanos, qui ministerium exercent in Cocincina?

2. An eadem Constitutio restringi possit ac moderari in aliquo casu ob magnam confessariorum penuriam in eodem regno Cocincinae? Iussu Pii VI anno 1775 opportuna Instructione responsum fuit: Ad 1. Affirmative. Ad 2 Negative. Et proxime SS^{ms} D. N. Pius IX, decreto huius Supremae Inquisitionis sub F^{eria} IV, die 27 Iunii anno 1866 edixit: *in facultatibus quibus Episcopi alique locorum Ordinarii ex concessione Apostolica polent absolventi ab omnibus casibus Apostolicae Sedi reservatis, excipiendos semper in posterum, et exceptos habendos esse casus reservatos in*

(1) Hisce addimus hoc aliud decretum. Quaesitum fuerat a Suprema Romana Inquisitione:

An in Missione nostra Batava tanquam sufficienter promulgatae, adeoque vim obligationis habere censendae sunt: 1^o. Constitutio *Sacramentum Poenitentiae*, quam Benedictus XIV, 1 Iunii 1741 ad Ecclesiam universam extendit, qua nulla decernitur absolutio data a confessario complice in peccato externo contra castitatem, et insuper ipse confessarius complicem absolvere ausus maioris excommunicationis poenam ipso facto incurrit?

2^o. Bulla Gregorii XV *Universi Dominici* anni 1622, et supradicta Benedicti XIV confirmata, qua praescribitur ut Confessarii sollicitantes ad peccata contra castitatem in confessione, vel huius occasione, Ordinariis denuntientur?

Feria IV, die 25 Aprilis 1838.

In Congregatione generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis habita in Conventu S. Mariae Supra Minervam coram Eminentissimis et Reverendissimis DD. S. Rom. Ecclesiae Cardinalibus in tota Republica christiana contra haereticam pravitatem generalibus Inquisitoribus, proposita dicta Instantia, iidem Emi et Rmi Domini dixerunt.

Affirmative ad utrumque, nempe commemoratas Constitutiones Apostolicas vigere ad utrumque.

Sanctissimus Dominus Noster Gregorius divina providentia Papa XVI in solita audientia R. P. Commissario Generali S. Officii impertita, praefatam Eminentissimorum resolutionem approbavit.

Angelus Argenti S. Rom. et Univ. Inquisit. Notarius.

Bulla Benedicti XIV, quae incipit: *Sacramentum Poenitentiae*. (1)

Hoc decretum vero omnibus ubique terrarum Ordinariis praedicta absolvendi facultate donatis, absque ulla exceptione significandum mandavit.

Quamobrem omnibus locorum Ordinariis enitendum summopere est, ne eorum vigor, quae in praedicta Constitutione salubriter providentur, paulatim uspiam elanguat. At Emi PP. Cardinales suppremi Inquisitores nuper cognoverunt, eandem Constitutionem non ubique, sicuti par esset, executioni tradi, atque in aliquibus locis nonnullos, tum in denunciationis onere adimplendo, tum in iudicio contra sollicitantes instituendo irrepsisse

abusus, qui sine iustitiae ac pro-vidae severitatis discrimine tolerari minime possent. Itaque neque inopportunum, neque ipsis locorum Ordinariis ingratum fore iudicarunt, si quae contra eosdem abusus ab hac suprema Congregatione ad trames Sacrorum Canonum decreta fuerunt, in unum collecta prae oculis habeantur. Ad quem effectum praesentem Instructionem edi mandarunt.

1. Personae sive mares sive foeminae, quaecumque illae sint, ad turpia sollicitatae in confessione, vel occasione aut praetextu confessionis, quemadmodum enucleate in memorata Constitutione praecipitur, rem ad Sanctam Sedem vel ad loci Ordinarium deferre debent.

2. Denunciare oportet quemcumque sacerdotem etiam iurisdictione carentem, sollicitantem in confessione vel etiam poenitentis sollicitationi consentientem, quamvis statim dissentientem de turpi materia loqui, illius complementum ad aliud tempus differentem et non praebentem absolutionem poenitenti.

3. Huiusmodi denunciations a nemine absque culpa lethali omitti possunt. Qua de re poenitentes debent admoneri, neque ab iis admonendis instruendisque eorum bona fides excusat.

4. Sacerdotes ad sacras audiendas confessiones constituti, qui de hac obligatione poenitentes suos non admonent, debent puniri.

5. Poenitentes admoniti et omnino renuentes nequeunt absolvi; qui vero ob iustam causam denunciationem differre debent, eamque quo citius poterunt faciendam spondent serioque promittunt, possunt absolvi.

6. Denunciations anonymae contra sollicitantes ad turpia nullam vim habent: denunciations enim fieri debent in iudicio, nempe coram Episcopo eiusve delegato cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii partes teneat, et cum iuramento et cum expressione et subscriptione sui nominis, nec sufficit si fiat per apochas vel per litteras sine nomine et cognomine auctoris. Ceterum prohibetur, ne in recipiendis denunciationibus, praeter iudicem et notarium, virum utrumque ecclesiasticum speciali et scripto exarata Episcopi deputatione munitum, testes intersint. Cavendum quoque ne ex denunciantibus quaeratur, num sollicitationi consenserint et convenientissimum foret si de huiusmodi consensu, quantumvis sponte manifestato, nihil notetur in tabulis.

7. Denunciationis onus est personale, et ab ipsa persona sollicitata adimplendum. Verum si gravissimis difficultatibus impediatur, quominus hoc perficere ipsa possit, tunc vel per se, vel per epistolam, vel per aliam personam sibi benevisam, suum adeat Ordinarium, vel Sanctam Sedem per sacram Poenitentiarum, vel etiam per Supremam

Inquisitionem, expositis omnibus circumstantiis, et deinde se gerat iuxta Instructionem quam erit acceptura. Si vero necessitas urgeat, se gerat iuxta consilia et monita sui Confessarii. Ast si nullo impedimento detenta denunciationem omnino renuat; in hoc casu aliisque supra memoratis laudandus est Confessarius qui operam suam poenitenti non denegaverit, et vel Ordinarium, vel Sanctam Sedem pro opportunis providentiis consuluerit, suppresso tamen poenitentis nomine. Formulas autem hisce in casibus adhibendas tradunt probati auctores, quos inter Pignatelli tom. 1. Consultat. 104, Carena, Albitius etc. (1).

8. Non infrequenter occurrit casus, ut Confessarius aliusve ecclesiasticus vir ab Episcopis (quorum utique haec potestas est) deputetur ad denunciations recipiendas in re ad sollicitationis crimen spectante absque interventu Notarii. Huic Instructioni folium adiicitur

circa modum, quo hisce in casibus confici denuntiatio debet. Qui enim ad hoc gravissimum munus viri maxime idonei destinantur, de actu denunciationis iudiciaria ratione assumendo instrui debent ac moneri, ut statim a recepta denunciatione eam continuo ad ipsum Episcopum a quo fuerunt deputati caute transmittant, neque confecti actus exemplum aut vestigium aliquod sibi retineant. Atque in hunc fere modum haud difficulter denunciandi munus adimpletur. Profecto a locorum Ordinariis efficiendum est, ne ad loca suae iurisdictioni subiecta applicare oporteat quod pro Missionibus Pernambuci in America die 22 Ianuarii 1627 declaratum fuit: *Mulieres, videlicet, sollicitatas non teneri ad denunciationem si Ministri Inquisitionis et Vicarii Episcopi in longinquis regionibus degentes sine gravi incommodo adiri nequeant* (2).

9. Si in denunciationibus, quod non raro contingit, aliae indicantur

(1) Prolixitas instructionis quae habetur apud Pignatelli loc. cit. non sinit ut eam hic inseramus: attamen haec in ea praescribuntur.

1º. Mulier sollicitata si scribere novit, epistolam dirigat ad Episcopum, in qua exponat se habere quid ad S. Officium referat, ideoque ad talem locum mittat Sacerdotem gravem et probatum ad excipiendam suam denunciationem; epistolam vero subscribat, eamque per suum Confessarium ad Episcopum transmittat.

2º. Si scribere nesciat, Confessario mandet ut haec eadem verbo tenus Episcopo exponat.

3º. Episcopus sub maximo secreto, et accitis duobus Ecclesiasticis prudentibus, epistolam vel relationem verbalem excipit, et Confessario committit ut ad indicatum locum pergat, et iuxta formulam praescriptam denunciationem excipiat; quam susceptam ad Episcopum defert.

(2) Giraldi, *Expositio iuris Pontificii Part. I, Appendix pag. 641 Edit. Rom. 1769* huic decreto assignat annum 1727.

personae forte pariter sollicitatae, vel quae de hoc crimine testimonium ferre aliqua ratione possint, hae quoque omnes et seorsim iudiciaria forma superius enunciata examinandae sunt et primo per *generalia*, deinde per *gradus*, quoad ita res ferat, ad *particularia* deveniendo, interrogari debent, utrum et quomodo revera fuerint ipsae sollicitatae, vel alias personas fuisse sollicitatas viderint, vel audierint.

10. Accepta denunciatione non illico proceditur, sed a superiore ecclesiastico inquiri sedulo debet, utrum persona denunciata sit fide digna. Sollicitationis crimen, ut plurimum, secreto perpetratur; hinc privilegium est, ut in causis, quae contra hoc crimen instituuntur, ad plenam probationem faciendam attestations etiam singulares admittantur. At in memoratis Summorum Pontificum Constitutionibus praescribitur, ne cum testibus singularibus procedatur, nisi praesumptiones, indicia, et alia adminicula concurrant. Pondus igitur cuiusque denunciationis, qualitates et circumstantiae serio accurateque perpendendae sunt, et antequam contra denunciatum procedatur, perspectum exploratumque iudici esse debet, quod mulieres vel viri denunciatae sint boni nominis, neque ad accusandum vel inimicitia vel alio humano affectu adducantur. Oportet enim ut testes huiusmodi singulares ab omnibus privatis affe-

ctionibus sint immunes, ut ipsis integra fides haberi possit.

11. Ea est huius Supremae Inquisitionis consuetudo, ut post unam alteramve denunciationem rescribatur, quod denunciatus *observetur*, ita videlicet super delato crimine suspectus habeatur, ut quum primum per novas denunciations res explorata erit, in iudicium vocandus sit. Ut plurimum non nisi a tertia denunciatione procedi solet. Ad formale examen vocantur Parochi vel probatae fidei spectataeque virtutis viri praesertim ecclesiastici, qui cum iuramento de veritate dicenda et de secreto servando super qualitatibus denunciantium et denunciati, et super mutuis eorum odiis et inimicitias examinentur. Hisce peractis diligentis, reus in iudicium adducitur, et coram iudice cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii partes agat, super singulis cuiusque denunciationis et examinis adiunctis, iuramento dicendae veritatis obstrictus respondere debet. Cavetur solertissime, ne denunciantium nomina reo manifestentur, et ne sacramentale sigillum quoque modo violetur.

12. Quando perspecta evaserit patrati criminis veritas, reo ad defensionem, prout iura exposcunt, admissio, deveniendum erit ad illi interdicendum in perpetuum ne confessiones excipiat, subtrahendo omnes et quascumque facultates ad id muneris eidem etiam per quodcumque privilegium, vel ab ipsa

Sancta Sede impertitas. Huiusmodi sententiam Episcopus ipse, et non alius ab eo delegatus proferet; et pro modo culpa, atque omnibus attentis circumstantiis, caeteras quoque poenas reo irroget, quae in supradictis Pontificiis Constitutionibus decernuntur. Praeterea si reus in iudicio crimen confessus fuerit, congruam debet emittere abiurationem, ut se ita purget ab ea, quam incurrit, haeresis suspicione; et hac quoque poena in ipsa sententia mulctetur (1). Notandum est, poenas huiusmodi omnes et ipsam inhabilitatem ad sacrosanctum Missae sacrificium celebrandum in decreto Benedicti XIV, die 3 Augusti an. 1745 praescriptam, esse tantum *ferendae sententiae*. Abstinentum tamen erit ab infligenda degradatione, et traditione brachio saeculari. Id nimirum a Gregorio XV statutum fuit; ceterum *ad terrorem* potius impositum haberi debet quam ut executioni mandetur.

13. Qui nullis omnino super hoc crimine praeventi denunciationibus, conscientia victi, Ordinario loci eiusve delegato se sistunt, patrata a se sollicitationis flagitia sponte confitentur et veniam petunt, dimitti debent cum congrua abiuratione et poenitentis dumtaxat salutaribus, adiecto consilio vel praeepto, ut ab excipiendis personarum sollicitatarum sacris confessionibus se abstineant; nec coeteris poenis antea dictis, accedentibus licet postea denunciationibus, afficiantur.

(1) An *mulctetur*? sed editiones habent *mulctetur*.

Qui vero iudiciaria forma iam praeventi, sed nondum citati, sua sponte se sistunt, et ii pariter, quos veritatem non integram, sed diminutam, in spontanea apparitione confessos esse Ordinarius loci ex acceptis postea denunciationibusprehenderit, beneficio impunitatis non gaudent, verumtamen pro ipsius Ordinarii prudentia mitius puniantur.

14. Quod in hisce causis vel ex commissione Apostolica, vel ex iure Episcoporum proprio tractandis maiorem in modum curari et observari debet, illud est, ut eadem causae, utpote ad fidem attinentes, secretissime peragantur, et postquam fuerint definitae et executioni iam traditae perpetuo silentio omnino premantur. Omnes Curiae ecclesasticae administri, et quicumque alii ad has pettractandas vel patroni ad defendendas causas assumentur, iusiurandum de secreto servando debent emittere, et ipsi Episcopi aliique locorum Ordinarii ad servandum secretum obstringuntur, prout in iure cautum est, Cap. *Statuta*, fin. de haeret. in 6., et in Clementina *Multorum* § *Porro*, de haereticis. Qui vero denunciationis oneri satisfaciunt, quique in hisce causis examini subiiciuntur, iuramentum ab initio de veritate dicenda, et actu expleto, de secreto servando, tactis Sacrosanctis Dei Evangeliiis, etiamsi sint Sacerdotes, praestare tenentur. Haec si caute, sancteque teneantur, nullum invi-

diae infamiaeque, vel aliud quodvis periculum timeri potest, quod vel testes a dicenda veritate, vel competentes iudices ab investigando et condignis poenis animadvertendo sollicitationis crimine contineat.

15. Indultum fuit a Pio VI, in *Instructione*, de qua antea dictum est, anno 1775 ad Vicarium Apostolicum Cocincinae data ut cum difficillimum sit in illis tam dissitis ac disparatis regionibus ea omnia adamussim servare, quae in hisce causis servanda sunt, et cum, si aliqua ex his omittantur, iustitia non patiat, ut poenae infligantur adversus reos, de quorum crimine iudiciaria ratione adhuc sufficienter non constat, tunc consultius fortasse esset si extra iudicii ordinem procedatur ad occurrendum tanto malo mediis et modis magis facilibus et expeditis, quos in casibus particularibus Vicarii Apostolici prudentia cum animarum zelo coniuncta suggeret. Iam vero quisque videt hanc indulgentiam pro locis adeo dissitis ac disparatis factam neque omnibus esse comunem, neque absque Apostolicae Sedis auctoritate iure posse ubivis induci.

16. Ceterum si locorum Ordinarii in conficiendis processibus, in proferenda sententia contra sollicitantes ad turpia in confessione gravioribus involvantur difficultatibus, rem, transmissis actis, deferre poterunt ad hanc Supremam Congregationem, quae peculiare Instructiones singulis casibus accommodatas

ut saepe fit, tradet ac definitivam sententiam, si expediens fuerit, ipsa proferet.

Haec sunt quae ad praedictam Pontificiam Constitutionem caute recteque exequendam conducunt, quaeque utpote ubique locorum observatu facilia, sacra haec Congregatio supremae et universalis Inquisitionis pastoralis Ordinarios zelo ac sollicitudini vehementer commendat.

Datum Romae die 20 Februarii an. 1867.

MODUS

QUO RECIPI DEBENT DENUNCIATIONES IN RE AD SOLLICITATIONEM SPECTANTE AB HIS, QUI AD DENUNCIATIONEM ALIQUAM ABSQUE INTERVENTU NOTARII RECIPIENDAM DELEGANTUR.

Die Mensis Anni

Sponte personaliter comparuit coram me infrascripto sistente in (*notabit locum, ubi reperitur ad actum recipiendum*) ad hunc actum tantum ab Illmo et Rmo N. specialiter delegato, prout ex eiusdem Ordinarii litteris mihi directis et datis sub die (*exprimet quo die ipsi scriptae fuerint literae*) praesenti positioni alligandis, NN. (*scribet nomen, cognomen, patriam, aetatem, conditionem et habitationem personae denunciantis; et si haec religiosa fuerit, exprimet etiam nomen, quo ea vocabatur in saeculo. Deinde prosequetur*), cui delato iu-

ramento veritatis dicendae, quod praestitit tactis SS. Dei Evangeliiis (*quae manu tangere faciet*) exposuit prout infra videlicet:

Hic persona denunciatus vernaculo sermone declarare debet, se scire obtentam esse ab Ordinario loci facultatem recipiendi absque interventu Notarii, quod ad suam conscientiam exonerandam expositura est, propterea quia iustis de causis eidem Rmo Antistiti se sistere nequit: deinde narrare continuo debet quae ad sollicitationes ei factas attinent, seu verba fuerint, seu scripta, seu actus, accurate describendo locum, tempus, occasionem, vices, et singula adiuncta, nec non utrum in actu confessionis, an prius vel post sacramentalem absolutionem ea evenerint. Nominare debet confessionalem Sedem et ipsum confessarium sollicitantem, et quatenus huius nomen et cognomen aut ignoret, aut oblita fuerit, describet accurate illius personam, omnes distincte characteres notando, ita ut ille recognosci possit. Animadvertat delegatus, non esse interrogandam personam denunciandam, utrum consensum ad actum turpem quocumque modo praestiterit vel recusaverit, cum ipsa ad suos defectus manifestandos non teneatur. Hisce excerptis prout narrantur, delegatus, quae sequuntur, neque aliud praeterea quidpiam requirit.

Interrogata: An sciat, vel dici audierit dictum N.N. (*nominando*

personam) Confessarium sollicitasse alias poenitentes ad turpia? et quatenus etc.

Respondit: (*Notabit responsionem, et si haec affirmativa fuerit, nomen et cognomen personarum sollicitatarum exquiret, et causam scientiae*).

Interrogata: De fama praedicti Confessarii N. N. tam apud se, quam apud alios? et quatenus etc.

Respondit: (*Responsionem excipiet*).

Interrogata: An odio vel amore praefata deposuerit, et super inimicitia, aliisque generalibus etc. et quatenus etc.

Respondit: Recte (*si ad propriam conscientiam exonerandam denunciasset se dicet*). Si a sollicitatione plus uno mense praeterlapsum fuerit, erit etiam interroganda:

Interrogata: Cur tamdiu distulerit praefata denunciare proprio Ordinario, et conscientiam suam exonerare?

Respondit: (*Notabit responsionem*).

Actus claudatur hac ratione.

Quibus habitis et acceptatis etc. dimissus (*vel dimissa*) fuit iuratus (*vel iurata*) de silentio servando ad novum tactum SS. Dei Evangeliorum: (*super Evangelium iterum iurabit*) et in confirmationem praemissorum se subscripsit, (*et si scribere nesciat*) et cum scribere nesciret, prout asseruit, fecit signum Crucis.

(*Crucis signum calamo faciendum ab ea exiget*).

Postquam denunciatus se subscripserit, aut Crucis signum fecerit, subscribet se delegatus hoc modo:

Acta sunt haec per me N.N. ab Illmo, et Rmo Antistite N.N. ut supra specialiter delegatum.

Integrum deinde actum directe ad proprium Ordinarium delegantem transmittet una cum Instructione et literis acceptis, nihil omnino apud se retinendo (1).

Ex his vero Confessarii opportunas et certissimas normas deprehendant, quibus denunciations pro variis casibus et circumstantis instruant.

At Superiores qui in denunciatum Confessarium animadvertere debent, accepta denunciatione, iuxta citatam S. Officii instructionem, sedulo diligenterque inquirent: an persona denunciatus sit *fide digna*, et *boni nominis*, scilicet an a se omnem delicti praesumptionem excludat, et an ad denunciandum mota fuerit inimicitia vel aliqua alia humana passione, ut invidia, zelotypia, aut levitate. In his vero non uni Parochorum generali testimonio standum est, sed relationibus personarum fide dignarum quae denunciantem intus et in cute noverint; Parochi enim bonum testimonium personis omnibus dimittere solent, de quibus nihil audiverunt.

Oportet insuper ex cit. Instructione ut Superior diligentissime inquiret circa qualitates denunciati,

qui si in materia luxuriae sit integrae fama, reus non est adeo facile supponendus.

Hinc prae oculis sequentia habeant criteria. 1° Si mulier non sit integrae fama, et e contra Confessarius bono potiat nomina, fama huius praevalere debet, et non est contra ipsum procedendum. Id decrevit Rota Romana apud Ferraris V. *Accusatus n. 9*. Bona fama accusati non solum facit praesumptionem innocentiae, sed abstergit praesumptionem contra ipsum. Tum docet Pignatelli Consult. Novis. Cons. 201. n. 55. « Si mulieres denunciantes patiantur exceptiones honestatis, vel inimicitiae, sive ipsarum respectu, sive earum coniunctorum, et Confessarius non sit *malae fama in materia venerea*, S. Officium non solet procedere.»

2° Si tum mulier denunciatus, tum Confessarius sint famae integrae, praevalere debet fama Confessarii. Id docent nedum Diana Tom. V, Tract. IX, *Resol. 65, n. 1.*, sed etiam Pignatelli Consult. noviss. 117 n. 62, quorum primus inquit. « Dum sola » est denunciatio mulieris sollicitatae ad turpia, quae sit bonae fama, Domini Inquisitores verbo » tenus se informant de qualitatibus Confessarii, si alias inquisitus » sit *de similibus*; nam in pari » qualitate praevalet Confessarius; » et ita servatur in praxi. » Alius vero: *Stante pari qualitate prae-*

(1) Acta S. Sedis Tom. III, pag. 499.

valet Confessarius foeminae poenitenti.

3° Quoniam in cit. Instr. § 11, dicitur. « Ut plurimum non nisi a tertia denunciatione procedi solet » Superior ecclesiasticus legem observet, et ne praeceptum sit in iudiciis huiusmodi instruendis.

4° Pariter in allegata Instructione § 14 absolute praecipitur ut eiusmodi causae secretissime peragantur; ideoque cunctis iuramentum imponitur de secreto servando, idque nedum quia de fidei causa agitur, sed etiam ad removendum quodvis invidiae infamiaeque periculum. Ex hoc igitur sequi videtur quod si in inquisitionibus instituendis Confessario infamia exoriri possit, aut scandalum fidelibus, ad ulteriora non sit procedendum. De infamiae causa patet ex ipsa instructione, atque ex ea evidentissima ratione, quod cum crimen sit occultissimum, reus habet ius ad propriam famam. Atque hinc gravissime peccarent Episcopi vel Inquisitores illi qui Confessarium denunciatum publice ad sese vocarent, multo magis per publicos apparitores, hi enim huiusmodi agendo famam proximi gravissime laedarent.

Nullimode pariter dubitandum est quin sint acta processualia praetermittenda si secretum servari cum non possit, scandalum fideles exinde sumerent. S. Thomas 2. 2. quaest. 44, art. 7, Resp. ad 1. « Poenae

(1) Qui plura desiderat adeat Petrum Rota, *Enchiridion Confessarii et Iudicis Ecclesiastici Pars Secunda, Sect. 2.*, ubi plura.

» infiguntur, inquit, ut medicinae
» quaedam ad cohibenda peccata,
» et ideo in tantum habent ratio-
» nem iustitiae, in quantum per eas
» peccata cohibentur. Si autem per
» inflictionem poenarum manife-
» stum sit plura et maiora peccata
» sequi, tunc poenarum inflictio non
» continebitur sub iustitia. » At in
casu plura et gravissima peccata
sequerentur sive ex parte denun-
ciati qui in rabiem actus ob deper-
ditam famam, si praesertim divitiis
et potentia praestet, posset atrociam
committere, Episcopis vel Inquisi-
toribus iniuriam irrogare, eosque
odio valiniano prosequi; tum ex
parte fidelium quorum plerique,
praesertim hisce temporibus, undi-
que divulgarent facinus in Sacra-
mento Poenitentiae admissum, alii
de ipso Sacramento poenitentiae
suspicionem sumerent, alii turpia
quaeque proferrent, alii Sacerdotes
irridere, et eis aperto ore de-
traherent; alii demum ab Sacramen-
to poenitentiae sese retraherent; ita
ut ob unum peccatum occultissimum
alia sexcenta committerentur. Hinc
in eiusmodi casu medicina in infligenda
poena nedum deficeret, sed in
venenum exitiale converteretur:
inflictio poenae quapropter non con-
tineretur sub iustitia; consequenter
aliis remediis, scilicet secretis mo-
nitionibus, comminationibus, etc.
essent cum denunciato Confessario
agendum; non iudicialiter (1).

ADDITIONES.

Nondum typis amandata fuerat integra in eiusmodi Caput nostra expositio, cum ab admodum Rev. Domino et Archipresbytero Petro Rota literas humanissimas accepimus, quibus ad ea respondere conatur quae nos contra ipsum in superiori nota pag. 182 scripseramus; atque animi nostri sinceritatem sollicitat ad addendas sub fine huius Capitis transmissas ad nos observationes et argumenta. (1) Quod libenter exequimur.

Ita igitur scribit, atque ratiocinia contra nos ducit.

Et refellere sine pertinacia et refelli sine iracundia parati sumus.
Cic. 2. Tusc. C. 2.

In egregio Commentar. In *Const. Apost. Sed.* (Tom. 2. Append. 37. pag. 182. Col. 1), Reverendissimus Vir et Clariss. Professor, qui illud conscribit, refutavit sententiam, quam *Rota* in suo libro nuper edito, *Enchiridion Confessarii et Iudicis Eccl.* (Part. 1. Sect. V. Cap. 16. N. 293) tenuit; nempe *Confessionalia inter loca destinata* ad confessiones recenseri, et ad hoc praestandum refellit, 1. eius interpretationem declarationis S. Cong. S. U. Inquis. 25 Nov. 1874; 2. ad ductas auctoritates; 3. rationem in-

trinsecam; 4. demum eius solutionem difficultatis oppositae.

Ad haec singula praefatus *Rota* respondet prout sequitur:

I. Quoad interpretationem declarationis Supremae Inquisit. Tria dubia tribunali Supremae fuerunt proposita; unum tantum nunc perpendimus, quod nostra refert, nempe *primum*. Hoc dubio quaesitum fuit: An loca, in quibus excipi solent confessiones Monialium, habenda sint ut *loca destinata* ad audiendas confessiones, vel ut vera *confessionalia*? Et responsum fuit: *Affirmative, prout proponitur*. Sole meridiano patet quod agitur in hoc dubio de locis, in quibus audiuntur

(1) In veritatis argumentum en pars eius epistolae: « Mi son fatto a rileggere » senza passione la sua Nota, e il Capo del mio libro, che in quella è combattuto » e per risultato di questa attenta e spassionata lettura ebbi lo scritto, che oggi » le mando insieme a questa mia; e spero, che per lo stesso amore della scienza » e della verità vorrà accoglierlo volentieri, e come ne prego vivamente la sua » gentilezza, facendo anche appello alla sua lealtà, vorrà in nota alla continua- » zione dell'Appendice, che sta pubblicando e che tratta di tali materie, prossima- » mente pubblicarlo. E aggiungo preghiera che voglia pubblicarlo nella sua integrità, » e senza intercalarlo con osservazioni, restandole poi pienissima libertà di ag- » giungere in seguito quante osservazioni crederà. »

Lallio presso Bergamo 14 Marzo 1885.

Sac. PIETRO ROTA Arciprete.